



# Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

**Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online**

**Danskernes Historie Online** er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

## **Støt vores arbejde – Bliv sponsor**

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

## **Ophavsret**

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

## **Links**

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

# ANNIVERSARIUM EXAMEN,

IN SCHOLA ROESCHILDENSI CATHEDRALI

SEPTEMBRI MENSE A. MDCCCXVII.

PUBLICE INSTITUENDUM INDICTURUS,

## PROLUSIONUM LOCO,

ORATIONIS, ANNO ANTE, AD PROVINCIAM RECTORIS RITE CAPESENDAM PRÆFICIENDOSQVE SCHOLASTICO MUNERI DUOS COLLEGAS, PUBLICE DICTAE, PARTEM,  
QVAE DE CLASSICORUM STUDIO AGIT, IN SCHOLIS ITA TRACTANDO,  
UT AD HUMANITATEM VIA MUNIATUR,

PUBLICI JURIS FECIT

SEVERINUS NICOLAUS JOANNES BLOCH,

DR. PHILOS. ET PROFESSOR, ORD. DANNEBROGICI EQVES AUR.

---

H A F N I A E.

EXCUDEBAT ANDREAS SEIDELIN.

*Anniversarium - Divulgandum Publicatum*

Reputanti mili, Præsul amplissime &, qvolqvot adestis, Auditores ornatissimi, summiæ venerabiles, ac mihi qvolibet vel observantiae vel pietatis officio colendi! qvid, qvo die primum ex hoc suggestu ad Vos essent verba facienda, ita qidem dici posset, ut vel *loco* liberalissimarum artium studiis per seculorum memoriam salutariter addicto, vel *consessu* hominum doctissimorum, expectantium fortasse, ut qvid de nostris juventutis moderandæ consiliis possit sperari, hodierna ipsis oratione probetur, vel *tempore* deniqve, qvo & nosmet & duos collegas, nobiscum hanc provinciam ingressuros, publico favori rite commendare majorum more jubemur, haud omnino indigna oratio nostra videretur, eo facile deferebatur animus, ut qvibus artibus ac studiis vel floruisse jamdudum hocce Lyceum accepimus, vel delectari mentem animumqve suspicamur humanissimi cuiusqve auditoris, vel veram deniqve juventutis moderatori laudem conqviri mecum omnes fatebuntur, hæc nobis hocce potissimum loco atqve tempore celebranda putaremus, & qvid de studiis humanitatis in schola regundis et nobis ratio ususqve comprobaverit, paullo' uberiorius exponendum. Svatet hoc, qvum omnino auditorum doctissimorum, vel hac sua præsentia declarantium, qvid hisce nostris studiis tribuendum censeant, tum Præsulis adspectus, ad interiorem eorundem usum ita admissi, ut qui Virum rebus sacris præfectum publice venerantur, luculento etiam exemplo demonstratum videant, qvid ipsis, ut ad id, qvod in omni doctrina summum est, perveniant, annitendum maxime videatur. Svatet hoc memoria Viri \*) terris nuper tristi fato erepti, qui, ut hominibus atqve Musis ad extreum usqve halitum vitæ in deliciis esset, ita hanc scholam, si modo non omnis meritorum gratia perierit, insignis suæ humanitatis perennem habebit. Svatet

\*) Johannis Henrici Tauberi.

Collegarum ipsorum, qvi muneri suo hodie publice præficiendi sunt, ingenium atque virtus, cuius haud facile major poterit commendatio reperiri, quam qvod, qvas laudes præceptoris imprimis esse nemo non fateatur, has sibi in eis jampridem probatas cognoverit universa cohors alumnorum. Svatet denique adstantium discipulorum corona, qvolibet modo excitanda, ut, qvibus artibus ad id, qvod in hominum vita præstantissimum est, evehi mentem animumqve sentiant, his qvum verum statuere pretium, tum recto eas ac prudenti studio qvrere conentur. — — \*).

*Humanitatis* autem, qvæ in præceptore soleat reqviri, qvum duplex omnino genus sit, alterum scientiæ, alterum animi; qvorum illud in eo positum est, ut literis perite & eleganter traditis, qvum multarum rerum accurata cognitione mens adolescentium instruatur, tum ingenium, acumen, judicium ita excitetur atque excolatur, ut rerum peritiæ limatior accedat et veritatis & elegantiæ sensus; hoc vero in magistro laudandum putamus, ubi in tractanda regendaqve juventute ita liberaliter versatur, ut admixtam gravitati prudentiæqve habeat benivolentiam atque comitatem, ut quantum ad frugem adolescentibus, tantum et ad jucunditatem e studiis capienda scholastica vita contulisse videatur; omnino, ut in præceptore ipsa ament præcepta, neqve ejus autoritate minus, quam doctrina e libris haurienda commendatum, qvid verum atque decens sit, lubenti animo amplectantur: neutro in genere ante hæc nostra tempora, atque utinam his ipsis, qvod præsens obtulerit conditio, eo recte fruamur, sic Masis addictam reperimus juvenilem institutionem, ut qvid postulet vera humanitatis ratio, assecuti præceptores, excepto forte uno alterove eximio viro, in universum fuisse videantur. Nam sive ad patrum memoriam redire placuerit, eaqve tempora, qvibus & magna nostrum pars literarum posuimus rudimenta \*\*): qvid, qvæso, aut ad humanitatem fructus inesse potuit insti-

\* ) Prætermissa h. l. nonnulla sunt, ad captandum auditoris favorem imprimis pertinentia.

\*\*) Ulterius recedere non vacat, neqve ad eas regiones, ubi habitasse qvondam humanitatis studia merito sunt dicenda. Qvod monendum videbatur, ne nos forte, qvi de scholis patriæ tantum, ac de institutione, qvæ nostræ est memoriæ, agamus, aliquis rejiciat ad Vallarum, Politianorum, Muretorum, Manutiorum, Poggiorumqve tempora, qvibus, ut scite monuit Heeren V. Cl. (Geschichte des Studiums der class. Litt. p. 278 sqq.) a summis Viris eo ipso, quo debent, consilio humanitatis studia colebantur, nimirum ut ex classicorum lectione & recte sentiendi et bene eleganterqve scribenfi facultas trahereiur.

tutioni, vel soli verborum flexioni juncturæque ad paradigmata & præcepta Grammatices exigendæ, ad summum flosculis qvibusdam atqve dicendi formulis ediscendis, vel jejunioribus Compendiis artium reliqvarum, præsertim doctrinæ Christianæ, iisdemque parum sæpe intellectis, memoriae discipulorum inculcandis, ita inhærenti, ut nihil inde ad animum aut rerum peritia augendum aut veri venustiqve sensu imbuendum excolendasqve præstantissimas ingenii vires rediret? aut qvid studiis hisce svavitatis attulisse putandus est rigor atqve austeritas Orbiliorum, qvi, qvum sola metus vi alumnorum greges putarent in officio retinendos, neqve nisi reprehensionum severitate a vitiis avertendos, Fabiani præcepti plane immemores, id imprimis ut caveatur monentis, ne studia qvi amare nondum potest, oderit, & amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet \*), humanitatem fustibus ingerendam adolescentibus adeo non commendare potuerunt, ut eam ipsis potius redderent omnino invisam. Sive ad eam procedere malis ætatem, qvæ recentioris etiam est memoriae, necdum prorsus obliterata, qvum, qvi pædagogicam artem ad rectiora vocare, præeuntibus Lockio Roussavioqve studerent, ii hoc sibi unice spectandum arbitrarentur, ut, non animi tantum, sed corporis ante omnia excolendi ratio haberetur, ipsaqve animi vires intuendo, attendendo, ratiocinando excitatæ acuerentur; ut mentes pueriles fructuoso rerum ipsarum, non inani isthoc, ut ajebant, verborum studio occupatæ tenerentur; facillima præterea atqve qvam fieri posset jucundissima discendi ratio evaderet, & qvicqvid traderetur, id ita esset comparatum, ut in vitam sociam atqve communem aliquid inde utilitatis posset redundare; omnino, ut libertate, qvæ hominis esse, natura duce, videretur, & ad corporis animique facultates expediendas aptissima, puerilis cummaxime ætas nihil impedita gauderet. In qvibus qvidem omnibus, qvod ab errorum vinculo, quo jam satis oppressa fuisset, solvendam ætatem illam putarent, difficile est, eorum judicium non probare. Sed videntur in hoc suo laudabili studio paullo longius esse progressi, nec satis cassis, ne vel nimis indulgendo, licentiæ annis juvenilibus perqvam damnosæ, certe periculosæ, frena incautius mitterentur, vel qvæ vitia docendi methodo potius essent tribuenda, ea ipsis disciplinis obtruderentur; quo factum imprimis, ut, qvod ad excolenda adolescentium ingenia maxime valeret, tantum non rejiciendum videretur, ipsaqve humanitatis studia eo usqve

\* ) Quintilian, inst. Or. 1, 1.

in contemptum inciperent vocari, ut veluti oblitii, qvid esset rō sapere, nihil fere discendum adolescentibus pædagogicæ artis novatores putarent, nisi qvod ad qvæstum et usus vitæ necessarios pertineret. Veruntamen, ut ea sors est vitæ humanæ, ut veritas ab extremis reducta lateat, donec per varios inventa fuerit errores, sic etiam heic utrimque repulsa in medio demum restitit. Nam qvum appareret tandem, & qvantopere ab institutionis humanitate qvondam recessisset ætas, qva tamen eæ præsertim literæ tractarentur, qvæ per se ad humanitatem vel maxime pertinerent; & qvid ex altera parte ii peccassent, qvi, ne in verborum studio ipsis ita inviso ætas juvenilis tereretur, sed rerum gerendarum facultate qvam primum instructa prodiret, omnem humanitatis curam existimabant rejiciendam; neqve amplius dubium esset, qvin, qvatum ad premenda ingenia deterrendamqve a literarum studiis juventutem faceret priorum ætatuum severitas, tantum ad solvenda salutaris illius, sine qva nulla est puerorum educatio, disciplinæ vincula conferret indulgentia posteriofis: vera demum eluxit, qvam utinam semper seqvamur, juventutis & instituendæ & regundæ ratio; & qvum suus iterum studiis humanitatis redditus honor est, tum severior disciplina sapienti benignitate temperata.

Qvæ itaqve qvum summo in humanum genus beneficio accidisse videantur: volupe animo foret, qvid in utroqve genere recte fiat ac moderate, diligentius examinare; volupe animo, demonstrare, qvot & qvanta præceptor vero humanitatis sensu imbutus, sive in qvolibet, qvod traditurus sit, doctrinæ genere, sive in reliqua necessitudine, qvæ ipsi cum juventute intercedat, invenire possit ejusdem liberaliter instituendæ præsidia; volupe tandem beatissimorum vitæ temporum denuo meminisse, qvibus vel ipse sensi, qvid ex humanitate magistri in alumnum boni redundaret, *Tauberique* mei imaginem (nam qvid aliud agit, qvi vivam exprimere studet humanitatem) coloribus, si non ex arte, at ex intimo pectore depromitis, adumbrasse; qvam si qvis oculis obversantem habuerit, haud facile poterit ab eo, qvod in hoc genere rectum est, aberrare. Sed qvum hæc omnia perseQUI latior vetet ambitus materiæ, nec omnem qvidem, qvæ huc pertinet, institutionem amplecti concedat horulæ spatium: manendum nobis in una existimavimus humanitatis parte, qvæ, qvum, feracissimæ radicis ad instar, florentissimam illam facile procreet arborem, præcipua omnis institutionis merito habetur; &, qvanticum sinit locus nostrarumqve virium tenuitas, demonstrandum:

*"qvanam præceptoris arte efficiatur, ut in scholis classicorum lectione  
bene munita adolescentibus ad humanitatem via pateat."*

In omni igitur institutione qvum qværi omnino possit, primum *quid* sit, deinde *quo modo* docendum: videri qvidem potuit prius non esse arbitrio præceptoris relictum, qvippe cui certe non liceat, scholasticis legibus præscriptam normam excedere & in delectu disciplinarum tradendarum libere versari. At nihil est tamen, qvod magistris hic præreptum doleamus. Ut enim hisce legibus salutariter cautum est, ne *quid* in re sane gravissima peccet novaturlentium aliquva temeritas, neve artium illarum ulla prætermittatur, in qvibus recte perdiscendis summa res verti videatur: ita etiam in ipso, qvem leges nostræ fecere, artium ac disciplinarum in scholis tradendarum delectu, id apparent consilium eaqve sapientia, ut haud facile dixeris, *quid* aut excludendum rectius aut adsciscendum videatur. Nam si ingenuæ juventutis institutioni merito propositum esse concedimus, ut liberaliter excolatur humana natura, animusqve iis artibus informetur, qvæ hominem suo & nomine & præstantia dignum unice reddant; qvæ, *quid* in vita honestum atqve decorum, *rectum*qve aut elegans sit, sentire eum atqve seqvi præcipue doceat, ejusdemqve sapienter instituenda optima & præcepta exhibeant & exempla; qvæqve & ingenium & acumen & veri rectique sensum, & qvicqvæ omnino menti humanæ virium inest, ita reddant exculta, ut qvodcumqve posthac adolescens inierit vitæ genus, hoc & prudentissimis regere consiliis & qvalibet laude valeat exornare: hæc, inqvam, si literis instituenda juventute spectantur, *quid* est, qvod aut in antiquioris philologiæ studio classicorumqve auctorum interpretatione, qvæ prima recte habetur, aut in historiæ, matheos, theologiæ, lingvarumqve recentiorum, qvatenus hæc qvidem in scholis prælibantur, natura atqve indole, ita discrepet ab humanitate, imo ad animum liberaliter excolendum ita parum faciat, ut aut minus necessarium possit videri aut cum alia qvadam disciplina rectius permutandum? Qvibus deinde qvum haud raro accedant & musices picturæqve & nitide scribendi artes, nonnunqvm etiam, ubi res ita tulerit, rerum naturalium aliquva scientia et exercitationum gymnicarum moderatus usus: plenam & integrum pariter atqve omnino aptam fructuosamqve habere nobis videmur rerum adolescentiæ discendarum *εν κυκλῳ παιδειαν*; in qva tamen, legibus qvamvis præfinita, sat amplum præceptoris judicio relictum spatium est; neqve qvum libera ipsi sit auctorum, qvos sibi sumat explicandos, optio, liberaqve methodus & breviariorum, qvibus superstruendam putet institu-

tionem, usus, deesse unquam locus potest, qvicqvid ad humanitatem conducere arbitretur, commode perficiendi. Unum quidem est, qvod, qvum huc imprimis pertinere videatur, prætermitti in scholis nonnunquam homines queruntur — philosophiæ studium, siquidem eo vel maxime excoli animum posse existimant & verum videndo mature adsvescere. Sed diligentius perpensa re, recte haud dubie fecisse existimandi sunt, qvi, qvod studium maturioris proprie esset ætatis & Academiæ potius concedendum, hoc noluerint in scholis ex formula tractari; præsertim qvum heic tamen nonnihil, id qvod in eo genere satis est, ratio philosophandi prælibetur, nec ulla fere omnium, qvibus ad humanitatem informari ætas juvenilis solet, ars sit ac disciplina, in qua non subtiliter & acute definiendo, distingvendo, concludendo, argumentando, ingenium adolescentium atqve adeo puerorum apte excerceatur, nec fieri possit, qvin cum bene dicendi scribendiqve ratione, cui scilicet plurimum tribuitur, recte etiam ac subtiliter cogitandi usus atqve facultas comparetur. Nam sive grammatices rhetoricesqve & vernaculæ lingvæ studium spectes, sive rationalem theologiæ partem artemqve mathematicam, sive classicorum denique interpretationem, imprimis philosophorum, vel ideo scholis maximopere commendandorum, qvod ipsa eorum lectione animum sponte subeat optimum, satisqve populare, & adolescentulorum ætati convenientissimum philosophandi genus: qvid est, qvod ingenio hisce studiis probe subacto, non dico præceptivæ, qvæ in moribus regendis versatur, sed ne contemplativæ quidem philosophiæ ita plane ignarum putemus adolescentem, ut ad eandem in Academia plenius accuratiusve tractandam imparatior accedat, aut fructibus, qvi ipsi jam ante hoc tempus ad humanitatem exinde sint capiendi, destitutus esse dicatur.

Qvare qvum in scholis, qvas, utinam fausto omine! doctas vocant, h. e. subtiliori doctrinæ addictas, jam e legis præscripto recta & facilis ad humanitatem via pateat, caveat ante omnia præceptor, ne ab ea ullo modo deflectat atqve aberret, nec, qvæ disciplinæ ad animos adolescentium liberaliter excolendas suapte jam natura plurimum valent, eas aut leviter percurri aut inscitius tractari patiatur; meminerit, qvam parum perspectam habere putandi sint indolem scientiæ philologicæ, qvi eam non faciant humanitatis palæstram; qvi, ut ediscantur modo lingvarum vocabula formulæqve, solliciti, verum interpretationis fructum intactum relinquant, eximiam, qva scatent, & sapientiam vitæ regundæ & orationis vim ac svavitatem, susqve deque habentes; qvi cum Latinis non ex monitu Ciceronis Græca conjungant, & in his rursus non liberalioris omnino culturæ fontem, sed solam Theologici studii propædeuticam qværant; aut de animo

bonis literis probe excolendo parum laborantes, id unice curent, ut censoribus academicis vel utcunqve satisfacere vel ingenium & memoriam venditare discipuli possint; & qvæ præterea, ut veræ humanitati inimica, sic a rectioris disciplinæ indole plane sunt aliena. In qvibus autem, ut qvid rectius fieri videatur, et ad animum liberali doctrina fingen-dum fructuose, qværamus primum, ut erat ab initio institutum, qvinam classicorum præcipue sint studiis adolescentium commendandi.

Quatuor nimirum qvum e Græca Romanaqve antiquitate sc̄anteant veræ huma-nitatis fontes, eandemqve ex historicorum, poëtarum, oratorum atqve philosophorum, qvibus qvinto etiam & sexto loco epistolographos & rhetores adnumerasse non poenitebit, lectione manare, inter omnes constet: præceptoris, qvi qvidem ad limpidos hosce haustus perducere cupiat alumnū, ante omnia est, curare, ut qvidqvid ex qvatuor hisce vel sex generibus ad excolendas ingenii juvenilis facultates viresqve, qvidqvid ad liman-dum veri rectiue ac venusti sensum animumqve solidiori doctrina & optimis qvibusqve vel sapientiæ præceptis vel vitæ bene instituendæ exemplis imbuendum maxime faciat, id studiose adhibeat; tum ut, qvæcunqve legantur, ea sic sint juventutis captui semper attemperata, ordineqve sic apto sese invicem excipient & a facilioribus ad altiora progre-diantur, ut ad ingenia sensim conformanda beneqve digestam scientiam ipsis comparan-dam cuncta amice conspirent; qvanqvam, qvum in his jam non omnia, qvæcunqve bona frugis esse videantur, paucorum annorum spatio possint absolvī, sapienti utendum est parsimonia, videndumqve, ne qvod, aut universum genus, aut si qvid in eo præcipuum est, v. c. Homerus, Horatii carmina & epistolæ, Ciceronis philosophica, omnino præ-termittatur; in qvo tamen cavendum, ne si qvid privato magistri studio imprimis arri-serit, hoc ideo statim adolescentiæ ita fructuosum existimet, ut, qvod ex hujus re potius foret, eo redimendum arbitretur. Neqve vero, qvum deesse neutqvam possit, qvod apte legatur, et in multos annos facile sufficiat copia, eadem qvotannis, ne frequentius qvi-dem tractari jubebo: qvanqvam enim sunt, qvæ decies repetita placeant atqve ob id ipsum identidem repetenda, neqve sine novis plerumqve fructibus eadem denuo tractantur: fastidium tamen vel torporem olim afferet iteratio non intermissa, neqve id, ut facile apparet, sine maximo studiosæ juventutis detimento. Qvamobrem non potuit non pu-blicæ institutioni perqvam salutare mandatum regium dici, quo ante hosce qvindecim annos tolli vidimus metarum jugum, latiusqve extendi præfinitus ille & semper in se re-currens auctorum qvotannis tractandorum orbis; modo hoc semper caveatur, ne, in justo

paucioribus lectio tironum subsistat & qvæ in succum sanguinemque verti debuissent, ea recisa tantum ac defunctoria lectione degustentur. Sed hæc hactenus. Jam enim ad propositum nos convertamus, quid in singulis generibus primum, deinde quo modo, tractandum sit, breviter monstraturi.

Itaque ut ab eo genere, quod facillimum est ac simplicissimum, ordiamur: *Historicorum*, tum Græcorum tum Romanorum, tantus est numerus, ut quid prætereundum sit, potius; quam quid optandum, magister juventutis possit addubitare. Sed quo largior copia, eo minus veniae, si in delectu instituendo non satis sapienter versetur; si v. c. qui sit institutionis scholasticæ finis, parum memor, Herodoto ac Xenophonti, limpidissimis Historiæ fontibus svavissimisque bene narrandi exemplis, iisdemque ut viribus adolescentium imprimis accommodatis, sic alendo ingenio uberrimam sane copiam præbituris, præferendum censuerit, non dico ceteros minus clari nominis scriptores, sed Thucydidem ipsum aut Polybium \*), vel si e Latinis Tacito Livium postposuerit, exceptis forte Agricola & Germania, successivo nonnunquam studio cognoscendis; quamquam illos quidem non eo perseqvor nomine, quasi ad ingenium liberali doctrina instituendum non nisi quoque vel accommodatissimi essent, quibus, seu ob sapientiam seu ob historicam artem, principem in illo genere locum tribuit omnium ætatum consensus: imo verum iis premium statuisse mihi videor, si, quæ maturioris judicii reqvirant lectorem, ea nolim imperita, nolim tenera nimis manu tractari, eique ætati, cui lacte adhuc opus sit, solidiorem cibum præberi. Degustentur itaque, si placet, carptim ex chrestomathia, quandoquidem hocce genere nostra ætas tantopere delectatur; pertractentur privatim, si vacat, ab eminentioris ingenii discipulis aliquot etiam eorundem libri; modo ne in scholis habitent, qui meritam sibi in academia sedem facile vindicabunt. Non enim id agere nostra institutio debet, ut subtiliori, atque adeo, si diis placet, critico cuidam historiæ studio per eam consulatur; ne hoc quidem, ut integra rerum gestarum notitia ex ipsis fontibus discipulo hauriatur. Sufficiet, imo præclare nobis fecisse videbimus, si ex hac lectione, præter pleniorum lingvarum antiquarum usum & rerum peritiam haud inutilem aut injunctam, hoc boni traxerint adolescentes, ut optimis exemplis conformatum roboratumque

\*) Conferantur præterea, quæ de historicorum græcorum lectione bene disputavit A. Matthiæ in præfatione ad "Historiæ græcæ præcipua capita ex Herod. Thucyd. ac Xenoph. collecta."

consequuntur veri rectique sensum & sapientiam colligant, quum juvenili animo convenientem, tum vitæ perutilem ac salutarem; ut recte factis gaudentes, vitiorum vero turpitudine irritati, quod honestum est, colere et amare, quod turpe, detestari atque perhorrescere discant; denique historicæ artis ita peritum obtineant animum, itaque narrationis savitatem perfusum, ut quid in eo genere rectum sit atque elegans, quum in posterum facile sentire, tum etiam ipsi, ubi opus fuerit, feliciter imitari queant. Quamobrem post illos neque Plutarchio aditum denegaverim, qui, quanquam dicendi genere non satis expeditus aut molliter fluens, adolescentes tamen lectores & apta satis & grata rerum copia detinebit; neque Æliano, incipientium studiis, ut jam bene Langius videt, cui bellam hujus autoris chrestomathiam debemus, haud parum accommodato. Nam *Latinorum* quidem tanta multitudo est, ut si modo recte & prudenter tractentur Livius, Sallustius, Velleius, Curtius, Svetonius, Cæsar, Tacitus etiam ex parte, & qui a tironibus teri solent, Justinus, Nepos, Eutropius, quibus et Sextum Aurelium addere placet & Valerii Maximi quædam, perennem humanitatis fontem in historicorum studio adolescentibus scaturire facile pateat.

Historicis *Mythologos* accenseo, in quibus mirari subit, quod in scholis propemodum negligantur, quum tamen ad intelligendam prisci temporis indolem atque scriptores antiquos, poetas imprimis, eleganter interpretandos tantopere valeat interior mythorum notitia, & veri horum sensus enucleandi egregium præceptoris locum facturi essent Hesiodus atque Apollodorus, ut nihil de Palæphato dicam, elementariorum studiis passim attrito. Heic itaque suo loco positum videri potest, quod alioquin nimis adamarunt recentiores, Χρυσομαθεῖαν genus, quibus inseri commode possint, quæ ex Hesiodo, Homero ceterisque poetis, tum ex Apollodoro, Diodoro Siculo & Antonino Liberali (nam e Latinis vel unus Ovidius legendus) huc pertinere præcipue videantur; quorum largam quondam Sahlius noster in Historiæ mythologicæ Chrestomathia copiam congesit, & nos ipsi in libro elementari Jacobsiano opportunitatem magistris datam voluimus demonstrandi, quæ sit mythorum indoles, origo sensusque, & quænam his vel priscæ sapientiæ scintillæ vel rerum antiquitus gestarum memoria inesse videatur — id quod præceptoris humanitatis studiose neutiquam est prætermittendum.

Alterum genus, idque suapte natura ita comparatum, ut, quum sensuum & imaginum savitatem, vigorem, magnificientiam, sublimitatem, maxime afficiat adolescentium animos, ad excolandum etiam alendumque ingenium & limandam judicii elegantiam ac

subtilitatem in primis valeat, *Poetarum* est. Qvorum igitur lectione curandum, ut qvid pulchrum sit & venustum, qvid splendidum, elegans & ornatum, & acute videre & subtilater judicare mentes teneræ discant; tum ut pravitati, qvam progignere luxuries ingenii facile possit, mature moles opponatur; qvod autem, nisi optima legantur, difficile est cavere. Parcius itaqve attingendus, auream qvisqvis vel argenteam utriusqve lingvæ excedit ætatem, providendumqve, ut, donec satis subactum obtinuerit ingenium & vero venustatis sensu imbutum, optimis tantum adsvescat adolescens. Princeps igitur esto *Homerus*, ad qvem, positis statim rudimentis lingvæ græcæ, transeundum, nec, ut olim solebat, ultimis demum scholastici cursus annis ex una tantum rhapsodia, ac ne vix qvidem, degustandus: hoc enim, ut ne splendidum illud ac satis nobilitatum repetamus Qvintiliani judicium \*), sed qvid e re nostra sit, tantummodo respiciamus, hoc nemo, sive argumenti jucunditatē et rerum pariter atqve verborum facili intellectu adolescentiolorum ætati accommodatior, sive, qvod ceteræ totius antiquitatis exemplar fuit ac fons, qvo irrigata sint ceterorum omnium ingenia, ad Græcos Romanosqve scriptores recte intelligendos fructuosior. Regnabit itaqve ille, ut solebat inter eos, a qvibus omnis elegantiae, humanitatis, atqve adeo sapientiae exempla petuntur, & in æternum haud dubie sunt petenda, sic nostris etiam in scholis, dummodo in illis veræ humanitatis sedes est qværenda; neqve committamus, ut, qvemadmodum ludimagister ille Atheniensis, Homeri libros ab Alcibiade frustra rogatus, sic nos prætereuntium tametsi non colaphos vereri, at justas saltem reprehensiones meruisse videamur. Minores alii sunt, neqva tamen pauci, aut minus grati, qvi nostris.alumnis offeruntur græcis ex viridariis ingeniiorum flores, carpendi illi qvidem sedulo, sed non ut integra messis facta videatur, neqve ut non multa supersint, qvæ freqventius redditurum possint invitare. E florilegio itaqve cognoscendus Hesiodus & Gnomici, Lyrici qve, Anacreon & Sappho ac carptim vel Pindarus ipse; Bucolici præterea & Anthologiæ delectus. Tragicos incertior commemo, non qvod ii non omnium fere præstantissimi & nobis videantur; sed qvod neqve recisa lectione, ut placuit qvibusdam, dilacerandi videntur, & ubi integra eorundem haurienda est fabula, gravius plerumqve discentibus onus imponent, qvam cui ferendo pares esse universorum humeri possint, aut sufficere paucarum, qvibus hæ litteræ nostris in scholis gaudent, horarum spatium qveat. Privatim autem, & ubi erectionis ingenii

\*) Institut. oratt. X. 1.

sese obtulerint alumni, Oedipum aut Electram, Philocteten, Antigonem; aut etiam Euripidis aliquam fabulam exponere certe juvabit. Restant Romani. Habebunt in his locum, quo semper gaudebant, Horatius Virgiliusque; quamquam ad alterum, sive carmina malis sive epistolas satyrasque, tractandum, id quod in privata institutione nimis plerumque acceleratur, præmature & ante vetuerim accedi, quam veras ipsius virtutes percipere adolescens possit; alterius vero quamquam regnabit Aeneis, non vero, nisi prægressa aliqua saltem Homeri parte, adeunda; e Georgicis tamen, ubi dentur alumni, in quos non frustra profusa ars & elegantia poetæ videatur, quamdam etiam attigisse fructuosum erit, neque Bucolica omnino seposuisse. Utrique autem antecedat Naso, Metamorphoses imprimis, quæ, si modo caute neque sine delectu legantur, largam tironibus & cognitionis aperient & elegantiæ fontem; at vero, ne phantasiae luxuriei omnia tribuere juvenilis animus adsvescat, neque solæ neque ultimis annis terendæ, ut succedant, qui, quæ summa vis sit atque indeoles vera poeseos, epico præsertim ac lyrico carmine declaratum adolescentibus tradant. Phædrus, ut inter Græcos Aesopus, incipientibus et modus & gratus; adultioribus vero, ubi ad scribendi excercitationes accedunt, aptæ & concinnæ narrationis exempla præbiturus; quæ quomodo petenda essent, quomodo ad formandam & orationem & pulchri sensum adhibenda, egregie, ut cetera, quæ ad humanitatem pertinent, me discipulo, Tauberum nostrum memini monstrare. Neque comicæ deinde veterum poeseos plane ignari maneant adolescentes; in quo genere quum scholasticæ juventuti minus forte commendandus Aristophanes videatur, vices suscipiat e Græcis Lucianus, qui quamquam, ob solutam orationem, non poetis sed philosophis vulgo adnumeratur, neque veteris theatri aut comoediæ rationem repræsentat, salibus tamen atque facetiis non inferior, terso autem dicendi genere longe superior, dialogum tanta arte condidit atque expolivit, ut nihil in eo genere fingi consummatius possit; e Romanis autem Terentio, quem ex Andria vel Phormione sine periculo cognoscet studiosa juvenus \*), Plautum eqvidem, quum ad pernoscendam latini sermonis proprietatem tanto-pere valeat, neque non animum ingeniosa rerum inventione ac jocorum festivitate & lepore mirifice oblectet, Holbergio denique nostro exempla dederit, quæ comparare identidem juvabit, omnino prætulerim, si modo caveri semper satis possit, ne quid ex joci lascivio-

\*) "De Terentii lectione philosopho non indigna" optime egit J. C. Briegleb Coburgi 1769.  
vid. Commentarii de libris minoribus Vol. II, pars 2.

ris protervia juvenili animo moribusque detrimenti nascatur. Nec denique Catulli aliquot atque Tibulli Propertiique flores decerpere dubitaverim, Martialis autem in primis, ad quem subcisiso passim studio tentandum invitare adolescentem vel Ramleriani spicilegii nitor & elegantia poterit. Nam Lucretius, Persius, Juvenalis, integraque ceterorum, hactenus modo prælibata lectio, ut nihil de Silio, Lucano ceterisque inferioris loci dicatur, vel Academiæ, cui quidem non omnia præreptum eamus, concedendi, vel privatis provectionis studiis, si cui forte unus alterve arriserit, relinqvendi rectius videntur. Veruntamen quicquid sibi interpretandum sumserit magister, hoc videat semper, ne, quum in instruendo potius atque alendo, quam oblectando juvenili ingenio posita esse cura debeat, poetarum studio, quo nimis allici animos nonnunquam videmus, ullo modo posthabeatur usus prosaicorum, per præcipua ipsorum genera diligenter ac non intermissa opera tractandorum.

Comparato itaque per lectionem Historicorum &, quicunque primo loco tractati sunt, Poetarum, utriusque linguae usu aliquo atque peritia, animoque jam in hisce studiis ita versato, ut ipsis de rebus judicare quodammodo incepit adolescentis, accedendum deinceps ad *Philosophos* videtur, qui quidem eo minus sunt in juvenili institutione prætermittendi, quo magis ad animum rectis quum vitae tum artium præceptis imbuendum illi præcipue valent. Neque enim in solo elegantiarum sensu expoliendo aut rerum memorabilium fructuosa notitia discipulis comparanda versabitur ars ac studium magistri, quem hoc quoque imprimis admitti decet, ut, philosophorum sententias intelligendo, pensando atque inter se comparando acuatur veri rectique sensus ac ingenium subtiliter judicando exerceatur; ut nihil de utilissima illa rerum scientia dicamus, qua si satis imbutus e schola prodierit adolescentis, ceteras in posterum disciplinas, præsertim philosophicas, & rectius ipse & facilius tractabit; nisi forte, ut hoc utamur, ad theologiam naturalem et præclaro Ciceronis de natura deorum opere, aut ad mores et libris de officiis vel Xenophonte, ad contemplationem et Platone, parum unquam redierit fructus. Immo vero his exuberare et Græcis Xenophontem reperiemus, si, quo deceat loco, commentarios ad defendendum Socratem conscriptos reponere haud cunctemur; his Platonem, qui, quamvis non ita scholis commendandus, ut per spinas ejus metaphysicas deduci tirones jubeamus, in illis tamen dialogis, qui ad captum descendant magis vulgarem, in Critone v. c. ad animum virtutis & constantiae admiratione commovendum mirifice comparato, aut Menone, unde vel maxime patebit elegantioris illius, quam in Socrate

Iaudari toties audiverint adolescentes, *εἰρωνεῖς* vis atque indoles, item in Apologia, Alcibiade utroqve ceterisqve, divino certe ingenio sic abruptum tenebit juvenem lectorem, ut ad humanitatem animo informandam nihil, me judice, singi efficacius possit. In qvibus omnibus qvum infinita propemodum & varia suppetat doctrinæ, et ejus qvidem adolescentulorum rationibus accommodatissimæ, copia, non tamen adversabor, si cui subinde vel Enchiridion Epicteti vel unum alterumve locum ex Moralibus Plutarchi placuerit Socraticis illis, qvibus regnum tamen maneat immotum, adjungere. Nam ab Aristotele scholis restituendo nisi satis deterrere sholasticorum poterunt argutiæ tricæqve, qvibus per sæcula præbitam ab eo caussam atque materiam accepimus, avocabit certe qvum rerum tum orationis ratio, doctior utraqve & obscurior, qvam qva capiatur adolescentis animus, qvem illecebris qvibusdam ac svavitate lectionis velimus ad studia humanitatis adduci, non prima statim tristitia ac severitate a philosophorum consuetudine profligari. Atque hæc qvidem in philosophia, qvæ proprie vocatur. Nam qvi philosophi vulgo adnumerantur, Theophrastus atque Lucianus: horum qvidem huic jam supra honorificum inter dramaticos scriptores locum assignavimus; illum vero, qvum facetis morum notationibus personas adumbraverit theatro adeo non indignas, ut inde vel originem ducere nova Atticorum comoedia, a Menandro ipsius discipulo condita, haud immerito videatur, eodem loco esse pertractandum, nulli dubitamus. E latinis regnum sibi vel solus Cicero vindicabit, ex qvo qvid ad totius philosophiæ antiquioris scientiam redundet, in historia ejusdem ex ipsius scriptis depromta optime Gedikius ostendit; qvanqvam ei tamen, ubi gravissimas pulcherrimasqve qvæstiones summa orationis elegantia commendatas e diverso, neqve tamen minus egregio, exemplo ingeniosissimo cuique discipulorum approbare libuerit, Senecam adjungere, non poenitebit. Vera enim, ut ait Muretus \*), sapientia aut illo, aut nullo prorsus genere scriptorum continetur. Parcius tamen ille attingendus, ut neqve, qvod monuit Quintilianus \*\*) adolescentibus, qvæ in eloquendo corrupta sunt, nimis arridere, neqve, qvod nos experientia docuit, animum sententiose dictorum copia fatigari patiamur. Ciceronis autem de of-

\*) Orat. III, cum Senecæ librum de providentia interpretaturus esset; qvam orationem vide sis.

\*\*) Institut. oratt. X, 1 extrem.

ficiis opus plane singulare & ad animos juveniles, qvicqvad dixerint alii, qvi, qvum in congerendis veterum philosophorum opinionibus diligentissimum eum fateantur, negant tamen, qvum ab aliis discesserit, acute satis ac subtiliter omnia providisse, suiqve, quantum oporteat, judicii fuisse, prima philosophiæ præceptivæ cognitione imbuendos, si qvod unqvam, opportunum, nemini sane, qvi veterum exemplis conformato animo ad philosophiam accedere velit, illectum debet esse. Accedant deniqve, si placet, varietatis gratia, Tusculanarum qvæstionum aliquot, unde et dialogicæ formæ in hisce disputationibus haud parum arridentis insigne exemplum petatur, item libri de natura deorum minoresqve de amicitia ac de senectute, atqve, si Hamanno, egregio qvondam, ut e scriptis, post mortem auctoris nuperrime editis \*), conjicere licet, juventutis magistro adsentiamur, neqve hos Academiæ concedere præstet, ut maturiori judicio instructi perennes illas atqve divinas rationis ac libertatis humanæ leges Ciceronis ore pronuntiant percipliant adolescentes, præclari de legibus libri. Cetera scholarum nostrorum fines excedere videntur atqve in commodius tempus differenda.

Qvarto deinceps loco afferantur *Epistolographi*, qvi quantum ad humanitatem valeant, fortasse haud expectabit aliquis, dum nos dicamus; neqve, qvum hoc vel minima Ciceronis epistola satis declaretur, aliquid veniæ Mureto qvondam opus fuisse putemus, verito, ne, qvod, relictis gravioris argumenti libris, epistolas ad Atticum sibi sumisset interpretandas, ludere qvibusdam et devexa jam in senium ætate minuendi laboris causam qværere videretur \*). Sive enim hoc spectamus, ut ad puram eam atqve nativam eloquentiam, qvæ omnem qvidem longe superat arte ac studio conquisitum ornatum, mature animus informetur, existimandoqve advescat, qvid sit in familiari sermone & consuetudine liberali elegans, politum atqve urbanum; sive ex doctissimorum politissimorumqve hominum sermonibus aut multa petitur variaqve doctrina aut animi requies et oblectatio: tanta est in litteris bene scriptis, qvales nobis ab illo relictas esse gaudeamus, a qvo omnis fere eloquentiæ luculentissima petuntur exempla, copia, venustas & gratia, ut nesciam, qvo unqvam genere magis ad expoliendum ingenium augendamqve scientiam juventus adducatur. Atqve si in tabula pictas jam intueri lubet magnorum

\*) Cf. oratio ipsius, in altero operum volumine, XVIta; qvacum comparetur etiam eximia illa ad Johannem Nicotium epistola, qvas ob causas magnorum et illustrium hominum epistolæ expetantur, luculenter ostendens.

virorum effigies, credo, qvod in ipso vultu apparere aliquid videatur illius, qvam in ipsis hominibus admiramur, virtutis: qvid est, qvod, ubi datur, mentem animumqve viva iinagine expressum intueri, nolimus ad eam juvenes nostros perducere sapientiae studiosos? præsertim qvum summos viros heic, deposita omni formidine atqve pudore, adire libere possit vel timidissimus adolescens, eorundemqve, vel ubi remissius agunt, qvo tempore facillima plerumqve et liberrima hominum consuetudo est, familiaritate uti. In eo autem genere, qvanqvam haud desiderantur bona Græcorum exempla, nec fortasse poenitebit epistolis, qvæ sub Isocratis, Demosthenis Platonisqve nominibus circumferuntur, privati aliquantulum otii tribuisse: nescio tamen, an solis Latinis possimus esse contenti, Ciceronem hoc etiam in loco imprimis versaturi; in cujus epistolis, qvanqvam, qvum ad rem nostram non omnia pariter pertinere videantur, delectu habito atqve, id qvod ad rem maxime facit, temporis ordine perlegendis, qvantum ad cognoscendam illorum temporum historiam ac vitam moresqve Ciceronis ipsius, tantum qvoqve ad animum juvenilem qvolibet humanitatis genere formandum, præsidii extat. Qvibus si plura subjungere placebit, qvod eqvidem pro ea, qvam ex magnorum virorum epistolis cognoscendis semper cepi, voluptate, haud dissuaserim: multum erit in Plinio, multum in Seneca bonæ frugis; qvorum alter & utilis & jucundus, qvod, licet non, ut ille, qvem præcipuum omnium diximus, ad rerum etiam civilium historiam multa conferat, nemini tamen aut sententiarum acumine leporisqve urbanitate, aut vere attica elegantia & florido dicendi genere, secundus est; in epistolis denique ad Trajanum svavissimæ cum optimo imperatore conjunctionis imaginem repræsentans; alter saluberrima sic scatet sapientia, sic, teste Fabio ipso, egregius vitiorum insectator est & morum gratia legendus, ut, si modo, qvæ in eloquendo corrupta esse monuit idem Fabius, satis cavere adolescentes assuefeceris, socium in docendi negotio adjunctum tibi facile patiare.

Neque præterea in *rheticis* veterum scriptis suo loco ponendis deesse aliquid opis videbitur, qvi, ubi exemplorum iam suppetat bona ac studiose collecta stipellex, cuncta digerendo &, qvid in iisdem lateat præclari exempli, depromendo ita inservient, ut veluti nova inde nascatur et recte sentiendi et bene dicendi præceptio. Qva tamen ut pro modulo virium juvenilium, qvibus qvidem hæc disciplina non satis semper jucunditatis afferre videtur, recte fruamur: non, ut olim leges jubebant, Ciceronis Bruto aut integris qvibusdam libris Quintilianii exponendis immoremur, qvi qvidem, ut satis

intelligi possint ac placere, lectorem reqvirunt ea & rerum peritia & maturitate judicii instructum, ut vel de ipsis oratorum virtutibus, vel de via, qva ad eas perveniat, sententiam ferre jam satis subtiliter ipse queat. Qvo vero ut adolescens adducatur atque ex ipso, quem legat, libro, dicendi præcepta hauriat, præclaros de Oratore libros præstat omnium primos adire; qibus si quid addere placuerit ex Quintiliano, eodem non ad ultimos illos progredi libros mallem, gratam forte peritioribus præceptionem allatuos, quam in singulis illis, unde exorsus auctor ipse oratoris conformandi rationem recte ingreditur, bonæ orationis virtutibus permanere; vel quartum de caussarum ordine, exordio nimirum, narratione, egressione, propositione ac partitione; vel quintum de probationibus, sextumque de peroratione et affectibus, septimum de dispositione, octavum denique & nonum de elocutione ac figuris, librum diligenter, quanquam ex methodo Rullini, succisis quæ minus necessaria viderentur, explanatus; ut hac quidem disciplina conformatus tironum sensus, quid in ipsis exemplis rectum sit atque elegans, & facile perspicere possit & commode interpretari.

Postremum genus *Oratorum* esse dixi, in quibus tantum est egregii exempli, tantum præclaræ cohortationis, ut demirer, eosdem non ita pridem e cyclo institutionis legibus præstituto fuisse omnino exclusos. Nam sive res ipsas & materiam in quo oratores versantur, spectaveris: nihil non ex eo genere redire animis juvenilibus videbitur, quod, ut veteres monent, & philosophiam complectitur, omnium bene factorum beneque dictorum matrem; & juris scientiam ad dicendum pariter atque ad res gerendas utilissimam; & rerum gestarum memoriam, ex qua, ubi opus est, ab inferis etiam testes excitantur; sive artem oratoris et elocutionem velis explorare: ejus certe studio allici mirum in modum animos sentiemus, qui, monente Fabio, nunc breviter & argute, incluso adversario, laxet animos & a severitate paullisper ad risum jocumque traducat, nunc a propria ac definita ratione hominis ac temporis ad communem quæstionem universi generis transferat orationem; nunc delectandi gratia parum digrediatur a caussa, nunc ad iracundiam, nunc ad fletum adducat auditorem; omnino, quo res postulaverit, animum ejus impellat, eundemque orationis aut vi aliquæ sublimitate efferre, aut concinnitate ac dulcedine permulcere, aut verborum sententiarumque gravitate permovere atque percellere facile possit. Quibus virtutibus quanto magis valet orator, tanto etiam ad juventutem liberaliter instituendum accommodior; modo has præmonstrator studiose eligat orationes, quæ aut universam vitam humanam,

attingant hominumqve cujuslibet ætatis concitent studia, qvales sunt Catilinariæ auf, ubi ad privatum alicujus aut periculum aut commodum pertinere res videatur, vel gravius aliquod tractent argumentum (qvale illud est, in qvo versantur orationes pro S. Roscio Amerino ac de lege Manilia), vel in exiguo præclare tractando eximiam aliquam atqve luculentam prodant oratoris artem & eloquentiam (cujus generis merito habetur præclara illa pro Archia poeta oratio). Atqve huc qvidem omnino pertinent, qvæ adolescentium studiis teri solent, selectæ Ciceronis orationes; qvibus etiam, ut, qvid in hocce genere summum sit, pluribus exemplis pateat, addendum subinde e Græcis velim Demosthenem aut Lysiam, ex altero v. c. nobilissimam illam de corona, ex altero funebrem in Corinthiorum socios orationem potiori loco habiturus; ut nihil dicam de brevioribus illis, qvæ luminum ad instar apud Historicos Græcos pariter atqve Latinos frequenter occurrunt, oratiunculis, minorum etiam studio, qvod et contextus ope facilius intellegantur & viam pleniori hujus lectionis generi præmunitant, valde commendandis.

---

Exposito hunc in modum, qvid e Veteribus legendum imprimis videatur, seqvitur altera qvæstio, *quo modo* in hisce interpretandis recte veretur præceptor humilitatis studiosus? In qvo omnino hæc duo sunt spectanda: *primum*, ut apto & ad juvenilis animi indolem accommodato ordine sibi succedant, qvæcunque adolescentibus legenda proponantur; ut, facto ab historicis poetisque facilioribus initio, sensim & ad difficiliores ejusdem generis & ad philosophos, oratores, epistolographos rhetoresque fiat progressus, atqve ita quidem, ut omnis omnino auctorum lectio dissentium scientiæ viribusque sit plane accommodata; ut rectiora semper iis præmittantur, in qvibus est aliquid magis singulare atqve infreqvens; ad qvæ, nisi satis firmato judicio verique sensu accedere periculose videtur; quemadmodum & auctor est Quintilianus, qui optimos quidem & statim & semper, eorundemque candidissimum quemque & maxime expositum voluit, ut Livium magis qvam Sallustium; ante omnia vero Ciceronem, tum autem ut quisque Ciceroni esset simillimus; *alterum*, ut sedula & eleganti horum auctorum interpretatione tirones percipere discant, qvid in illis egregium dignumque, qvod & animo imprimis inculcetur & exemplaris loco habeatur; qvid vel in sententiis verum, rectum, acutum, grave, elegans, svave aut sublime; vel in elocutione lucidum, aptum, pressum, diligens, exquisitum, molle splendidumque; ut saluberrimis præceptis mentes teneræ satis

imbuantur, frugifera doctrina augeantur, poeseos aut svavitate afficiantur aut splendore, honesto joco facetiisqve delectentur; omnino, judicium & sensum veri venustiæ teneant probe subactum & liberalissimis hisce studiis, qvam fieri possit, limatissimum. Qvæ omnia, apparet, non sola, qvamvis ea qvidem accurata & eleganti, versione grammaticaqve vocabulorum formularumqve analysi posse comparari. Imo vero, ut grammaticam explicationem recta tantum cujusqve formulæ, enunciationis, periodiqve notitia seqvitur, non autem illa totius loci intelligentia cognitioqve, unde proficiscatur apta satis atqve elegans illius in vernaculum sermonem conversio, ita hanc intelligentiam progignere non potest, nisi sedula illa cura, qva & in sensum argumenti semper inquiratur, & qvid accurate ornateqve & copiose dictum sit, diligenter examinetur.

Sollertiau autem huic atqve elegantiori auctorum interpretandorum rationi materiam aptissimam uberrimamqve dabunt cuncta ea scriptorum antiquorum genera, e qvibus largum nuper statuimus manare fontem humanitatis. Unde enim, qvæ sint aptæ, concinnæ & jucundæ narrationis virtutes, perspici melius, qvam ex veterum *Historicorum* lectione potest? qva, veluti molli jucundoqve succo ali orationem, jam peritissimus dicendi magister Quintilianus observavit? unde, sive scientiam sive delectationem putet ex Historicu petendam, præstantiora, vel apertæ perspicuitatis, vel brevitatis foecundæ, vel gratiæ svavitasqve tum e simplicitate tum ex ornatu profectæ, exempla invenies, qvam qvæ pro sua qvisqve indole ac scribendi genere præbent Herodotus ac Xenophon, Cæsar ac Nepos, Livius Sallustiusqve; qvin etiam narrationes ipsæ, qvibus innituntur pleræqve Ciceronis orationes, vel ideo studiose legendæ, ut intelligatur, qvanam arte probabilitatem aut fidem causæ vel narratio sola possit conciliare. In qvibus itaqve omnibus qvid præceptoru sit spectandum, ut qvam uberrimos ex historicorum lectione fructus discipuli possint colligere, satis patebit.

In *Poëtis* vel major etiam & argumenti & orationis explicandæ cura est adhibenda, qvippe qvi inventionis novitate & copia, phantasmatum ac troporum splendore, & exqvistitoribus vocabulis ac dicendi formis omnium maxime floreant. Hos autem interpretaturo doctori egregium omnino exemplum prævit Heynus, æterna philologorum pietate colendus, & qvi ex ejus disciplina prodiere, clarissimi artium liberalium doctores. Qvod tamen ut recte seqvamur, diligenter cavendum, ne doctrina longius evagemur subtilioraqve proferamus, qvam qvæ ferre tironum ætas possit; ex altera parte, ne auctore in vernaculum sermonem utcunqve transferendo & historicis ad summum aut mytho-

logicis qvibusdam observationibus illustrando sic acqvescamus, ut intaeta maneat, qva tamē imprimis excitari lectores debuissent, mens illa divinior & os magna sonaturum; vel non decepti, qvibus se phantasiæ insinuant poetæ, dulcissimi orationis flores; vel denique non illa sapientia, qvam insigniter commendat svavitas coloris poetici, satis animus perfundatur. Exqvirendum itaqve imprimis, qvanam re sit ad canendum excita mens poëtæ; qvodnam carminis consilium argumentiqve eleganter tractandi ratio; qvæ sit vulgaris cujuslibet loci sententia; ut appareat, qvibusnam coloribus, & qvamobrem his præsertim, eam adornaverit ingenium auctoris: neqve solum, qvid ad locum illustrandum doceat mythologia & historia, verum etiam unde petitus color orationis, qvæ sit imaginum venustas, qvam ad propositum apta omnia. In qvod eqvidem incumbe, præceptoris esse tanto magis duxerim, qvum elegantior illa veterum poëtarum interpretatio sensui recti venustiqve aut sollerter excolendo aut, si qvando a recto forte aberraverit, revocando salutariter inservire videatur; id qvod hisce nostris temporibus haud certe nihil attinebit monuisse. Nam qvod antiqvos divino, qvo se nostra tempora jactant, spiritu satis adflatos, aut benignam illis ingenii venam manare negant: scire velim, qvem recentiorum Homero, Pindaro, Æschylo, Flacco, ingeniosiorem dicere, imo eos æqviparantem audeant; ut taceam, in qvolibet fere poëseos genere constituta ab antiqvis exemplaria esse, qvæ qvi feliciter imitati sunt, magnam jam laudem meruerent; superare ne illi qvidem valuerunt, qvi sibi vel maximam nostra ætate ingenii gloriam vindicavere.

Tertium & quartum scriptorum antiqvorum, qvos adolescentium studiis putavimus esse commendandos, genus *Philosophorum* erat et *Epistolographorum*; in qvibus qvum æqvabile sit ac temperatum dicendi genus, videri qvidem possit, non magna opus esse præmonstratoris cura, modo recte, accurate & apposite omnia in vernaculum sermonem vertantur. At hoc ipsum qvomodo fieri possit, nisi sedula antecedat sententiarum ac verborum exploratio, eqvidem fateor me nescire. Qvam parum enim, ut hoc utamur, e Ciceronis de Officiis opere, ante Grævium Hottingerumqve, qvi ejus demum eleganter et ex mente auctoris pariter atqve recentioris sermonis indole vertendi præsidia subministravere, qvamvis extarent & Manutii annotationes, ad sensum explicandum perqvam appositæ, & Grævii cura, præclarissima aliorum philosophorum placita comparantis, ad humanitatem in scholis fructus trahebatur? Qvod opus vero si quis antea bene fuerit interpretatus, (id qvod negare neutiqvam est in animo),

eundem et his simillimum fuisse putemus, qvi præclarum hocce veteres scriptores vertendi exemplum præiverunt. Etenim nisi sic exprimantur, ut ex ipsa conversione vernacula pateat, satis subtiliter perceptam esse mentem & consilium auctoris, qvo imprimis hoc pertinet, ut ne in reddendis orationis vinculis & juncтурis a vero aberretur: certe non sperandum est, ex illa lectione aliquid rediisse, qvo salutariter institutus animus juvenilis esse dicatur. Duplex itaque, ut ad humanitatem facere philosophorum antiquorum lectio possit, magistris cura videtur adhibenda: altera, ut bene perspectum adolescens habeat aucteris consilium, qvidque qvum toto opere tum in singulis ejusdem partibus demonstrandum sibi proposuerit &, qvo tenore atque nexu sententiæ procedant; altera, ut probe intelligatur, qvibus rem evicerit argumentis, qvæ si lector adolescentulus æque clara, certa, graviaque possit vernaculo sermone exprimere, indicio est, adeptum eum esse, qvæ hac lectione adipiscenda voluissemus. Neque minus etiam ceteri pro sua quisque indole sunt explicandi, neque aut in Cebete allegoriarum sensus, aut in Epicteto Stoicæ disciplinæ ratio, aut in Luciano qvum dicacitatis salisque urbanitas tum attica orationis elegantia, aut in Theophrasto præter morum notationem criseos etiam, cui materiam abunde præbebit & ipsius opusculi ratio & textus magnopere sollicitatus, instituendæ degustatio, & sic porro in ceteris, ullo modo sunt negligenda; ut e qvolibet scriptore, qvod ipsi proprium sit, haurire discant adolescentes atque in usum suum conferre.

Paullo diversa ratio *Epistolarum* est, qvarum in eo qvidem facilius esse genus videtur, qvod, qvum familiarem referant sermonem, neque tantum præ se ferant exquisitoris ornatus aucupium, non ea, qva vel poetæ vel oratores, sententiarum atque verborum magnificentia atque amplitudine difficultatem lectori parent. At neque tamen nulla ea restat, vel e rebus, ad qvas inter amicos tantum alluditur, sed alieno lectori non satis ubique notis, vel e negligentia sermonis aut brevitate, vel denique ex multo varioque scriptoris artificio, affatim nata. Hæc itaque & talia qvum sint ad intellectum necessario illustranda, tum ad humanitatem imprimis pertinet, magnorum virorum animos, mores, affectus, ex ipsis eorum epistolis, veluti ex effigie, cognitos habere, (qvamobrem præcipue epistolas ad Atticum e scholis excludi nolebam); privatam eorundem pariter, atque publicam, vitam oculis quasi obversantem intueri; temporum illorum historiam rerumque statum certissimis ex fontibus illustratum haurire; & gentis & ævi, unde præclara illa nobis relicta monumenta sunt, indolem penitus perspicere; præterea, qvid sit in literis ad principes viros dandis cultum politumque, qvid in amicorum colloquiis

ingenuum ac liberale, qvid in jocis festivum, elegans & urbanum, præstantissimorum exemplarium norma probatum tenere.

Reliqvi sunt *Oratores*, ita sane legendi, ut intelligent tirones, qvo pertineat oratio & qvodnam causæ genus; qvam bene aut rei agendæ, aut hominum, apud qvos, aut temporum, qvibus esset dicturus, rationem auctor habuerit; qvæ sit oratoris, qvem tractent, vis, acumen, ars, doctrina, elegantia; qvid sit in exordio ad præparandos auditores eosdemqve benevolos, attentos, docilesqve reddendos aptum; qvid in narratione apertum atqve ad judices, qvo velit, deducendos accommodatum; qvam diligens & ad claritatem faciens partitio; qvam idoneis vel argumentis vel exemplis rem ipsam probaverit orator; qvam egregie in peroratione vel rebus breviter contractis totam simul causam ante oculos ponat, vel affectibus ad animum aut concitandum aut flectendum utatur. Omnino, qvæ sit & inventionis copia & virtus dispositionis; qvid in elocutione perspicuum, emendatum, ornatumqve, qvid copiosum & rei demonstrandæ conveniens, qvæ amplificationis, qvæ troporum figurarumqve suo loco positarum vis atqve dignitas; qvi dictio- nis ardor, svavitas, nitor, numerus, euphoniam. Quid multa? exemplis hisce ars oratoria doceatur, qvorum copia & elegantia ubi satis informatus imbutusqve animus fuerit, merito — non fingendi Oratoris (id qvod nondum spectamus), sed, qvod propositum fuit, humanitatis expoliendæ egregiam disciplinam in hac oratorum lectione conditam nobis facile videbimus. In qvo genere ut, qvid nobis placeat, annotationibus, editioni qvarundam Orationum Ciceronis subjunctis, breviter indicatum voluimus, sic omnino e re discipulorum arbitror fore, si *Rhetoras*, ubi vacet, adierint, Ciceronis & Quintiliiani institutione usuri; qvi auctores qvomodo sint exponendi, qvum ex consilio, qvo adhibentur, tum ex iis, qvæ supra de philosophorum lectione præcepimus, vel me non monente, colliget magister in id incumbens, ut frugifera alumnis doctrina evadat.

Sed video, paratos jamdudum esse, qvi longi laboris atqve moliminis fore hocce humanitatis studium objiciant, & tempora præceptoris melius collocanda intercep turum, qvin etiam scholarum fines omnino excessurum. Qvibus qvidem ita concedo, ut nimium huic sive in cogitata scriptorum inqvirendi, sive orationis examinandæ, studio impendi curæ temporisqve nolim; neqve in veteres scriptores ita commentari scholasticos magistros jubeam, ut qvod aut rebus cognoscendis aut percipiendæ orationis elegantiae datum fuerit, id solidiori latinæ græcæqve lingvæ scientiæ detrahatur. Verum enim vero,

ut faceam, qvantam ipsa interpretatio, præsertim si latino sermone instituatur (qvo sensim deducenda suprema saltem classis videtur) dicendi & materiam & excercitationem discipulo suppeditet: est hæc demum vera lingvarum addiscendarum ratio, ut ex sententiæ ipsius indole recte perpensa perspiciatur, qvid in verbis atqve oratione proprium sit, rectumqve & elegans; nec ulla verborum interpretatio est, nisi qvæ ex rerum, de qvibus agatur, natura probe intellecta oriatur. In qvo itaqve, nisi siqvis prolixius forte, qvam qvo ad mentem auctoris penitus intelligendam aut sentiendas ipsius virtutes opus sit, versetur; atqve adeo, ut nonnunqvm vidimus, non auctorem explicare, sed suæ cùdiam disputationi ex eo locum qværere studeat, erratum certe nullo pacto dici potest. Præterea, si, qvid omni juventutis institutioni propositum sit, qværere placet, remqve obtinendam a præsidiis, qvibus illa obtineatur, sedulo distingvere: appareat, altius qvid esse petendum, nec sui ipsius causa addiscendam vel græcam lingvam vel latinam esse, sed qvod cultissima sint præstantissimarum rerum ac sententiarum velamina, vel humanitatis præsidia ex operibus hoc sermone conscriptis conqvirendæ, neqve, nisi per eas, optimi qviqve & svavissimi summæ sapientiæ, eloquentiæ, elegantiæqve fructus satis virides atqve incorrupti nobis præbeantur. Qvibus vero si, qvo tempore ad humanitatem informari adolescentia debeat, vel nullo modo, vel non nisi obiter frui liceat, et ne monstrare qvidem, qvid ex illis operibus aut bonæ frugis aut voluptatis sit capiendum: scire velim, ecqvando ad id, qvod hisce tamen studiis qværendum esse inter omnes convenit, accedatur? Num primis illis fortasse academicci cursus qvatuor aut qvinque mensibus, anteqvam ad ea studia adolescentes digrediantur, qvæ, qvo magis publicæ vitæ usibus, eo minus humanitati addicta videntur? O præclaram sane humanitatis palæstram! o tempestivos fructus inde capiendos, ubi ne semen tem qvidem factam invenerit præmonstrator academicus; atqve unius tantum vel duorum opusculorum docta qvamvis & eleganti interpretatione sacerdandum sit, qvod omni prævio tempore fuerit neglectum! Denique, ut hoc etiam videamus: Qvid demum est, qvod illa, qvam volumus, classicorum humaniori explicatione rectius fiat, aut ad instituendam juventutem fructuosius? Num forte, ut lectionis copia conqviratur, omnia leviter percurrenda sunt atqve in vernaculnm sermonem tantummodo transferenda: sed unde, ut nuper monuimus, recta illa aut saltem tolerabilis versio, nisi ex auctoris mente indoleqve satis diligenter perspecta, nascetur? An ut lingvæ scientia confirmetur, soli Grammatices studio inhærendum, et ex præceptis ejusdem, neglectis rebus et argumento, qvid in vocabulorum for-

mis atqve junctura rectum sit, necne, unice semper demonstrandum: ecquis vel minimo humanitatis sensu imbutus veterumque legendorum cupidus ferre in Oratoribus atqve Poetis, omnino in omni proiectiorum lectione, poterit grammaticam istam calumniam & jejunitatem, paradigmatis & quicquid praevio usu tritissimum debeat existimari, denuo semper ruminandis immorantem; ad summum, ut tamen & rhetoricae arti tributum aliquid videatur, quotquot occurunt orationis lumina, ut moris olim fuisse e compendiis patet, per figurarum classes frigide satis digerentem; de veris autem dicendi laudibus, deque ipsius argumenti indole ejusdemque prudenter, apte ornateque tractandi ratione ita omnino securam, ut quid aut quo modo scripserint auctores, ad lectorem crederes nihil pertinere, et ex humanitatis studiis ipsam humanitatem esse sublatam? Fingamus Horatii Carmina aut libros de Officiis, aut orationis Maniliæ exordium, Milonianæ narrationem atque perorationem, ita aut negligi a præceptoribus, aut male haberi: nonne omnis & solertiæ & elegantiæ interitum eo ipso loco, ubi eidem vel maxime esset litandum, deplorares? Quam tamen perversitatem non in Classicorum lectione tantum, verum in ipso etiam vernaculae linguae studio, in quo tamen egregium aliud alendo excolendoque juvenili ingenio subnatum bisce temporibus præsidium lætamur, ita passim videmus obtinuisse, ut nihil inde, præter expeditam qvarundam dicendi formarum enumerationem, trahant adolescentes. Imo vero ne in elementariorum quidem alumnorum institutione qui tamen, ut firmitatem aliquam consequantur, in principiis grammatices præcipuo sunt & indefesso studio excercendi, adeo non habenda rerum atque dictionis ratio est, ut oscitabundum regulas decantare tironem patiaris, ignorantem & quid legerit, & quo modo ex verborum forma structuraque diligenter explorata sensus eliciatur, cui tamen percipiendo tenendoque, quid ipsis inde & ad scientiam & ad mores redeat, vel pueri mature ac statim adsvescant. Quid? quod & ipsa Grammatica, sive inferior illa sive superior, ut cuilibet ætati opus est, sollerter & cordate exposita, egregia humanitatis disciplina merito dicatur, quæ, dum recte dicere alumnum doceat, recte etiam sentiendi artem ita exponat, ut & philosophiæ, primis ætatibus convenientissimæ, & eloquentiæ juvenili animo informandæ, semina commode sparsisse videatur.

Atque hæc quidem sunt, quæ de classicorum studio recte & eleganter tractando pro temporis ratione summatim attingere placebat. Multa quidem erant, de quibus, si, quo res poscebat, progredi nostra oratio posset, hic dicendi locus esse videretur; multa de scribendi excitationibus monenda, quæ si ita instituuntur, ut

classicorum interpretationem æqvis veluti passibus seqvantur, neqve Muretos Ernestiosque dedignantur magistros, multimodis profecto rem nostram juvabunt; multa de Mythorum, Historiæ, Numorum studio dicenda, qvod qvo modo in hisce nostris studiis recte et eleganter adhibeatur, non est, qvod, ex qvo inter nos Winkelmanni, Heyniique extitere, ignorare philologos homines arbitremur; multa denique de notitia scriptorum græcorum latinorumque, adolescentibus eo consilio comparanda, ut angustiores hosce fines excedere nonnunquam pro lubitu possint, neqve, præsertim ubi suo arbitratu studere olim contigerit, fontes ipsos, unde qvod optimum est, hauriatur, id qvod sæpius accidere videmus, plane ignorent. Sed neqve omnia excutere hujus loci temporisque videbatur, neqve, qva hodie primum frui contigit, Humanissimorum Auditorum patientiæ sic confidendum, ut qvidlibet inde sperandi factam nobis copiam existimemus. Qvare ad ea nos convertamus, qvæ &c.

\*

\*

*Sqvebantur jam, qvæ ad nosmet ipsos primum Ephoris Scholæ, Magistrisque & reliquis Auditoribus commendandos, laudandumque, qvod in hac provincia, qvam cum Cathedra Neocopiensi aliquot menses ante commutaveramus, prosperum nobis atque fausti ominis esse videretur; tum ad duos Collegas, qvibus quidem haecce cura nuper fuerat ab Augustissimo Rege demandata, Doctissimum nostrum atque jam pridem de Schola Helsingorana meritissimum Virum JOACHIMUM SUHR, primarii Ordinis Magistrum & Virum Ornatisimum JOHANNEM PETRUM THRIGE, Cand. Theol. & Adjunctum Scholæ, muneri rite praficiendos, erant dicenda; qvibus denique accedeabant & cohortationes, qaibus excitanda juventus videbatur, ac vota pro salute hujus Lycei nuncupanda. Qvæ vero, qvum ad lectores minus pertinere nunc viderentur, neqve id nobis assumamus, ut aliquid novi in eo genere dixisse nos arbitremur, succidere in præsens maluimus, qvam ultra justos programmatis fines libelli molem, qui quidem non tanti esset, extendere.*

*At reliquum est, ut, qvamobrem haecce qualiacunque demum sint evulgata, paucis indicemus. Instat anniversaria nostrorum alumnorum censura, publice et eo quidem ordine, qui e schemate huic libello ad calcem adjuncto perspici poterit, agenda, cui ut frequentes adesse velint, discipulorum parentes atque tutores, & si qui præterea sunt, qui nobis & hisce nostris studiis bene cupiant, rogatos officiose velimus.*

---

Ved den offentlige Examen, som for indeværende Aar 1817 bliver paa sædvanlig Maade foretaget i Roeskilde Kathedralskole, og som Disciplenes Forældre, Værger, samt enhver anden Skolens Velynder herved venligst og ærbödigst indbydes til, efter Behag at bivaane og anhøre, dimitteres til Universitetet følgende 6 Candidater:

1. JOHANNES DAM HAGE, en Søn af Hr. Kjöbmand *C. F. Hage* i Stege paa Møen.
2. HARTVIG JENS LAURENTIUS FABRICIUS, en Søn af Sognepræsten til Tranekjær og Tullebölle paa Langeland, Hr. *C. C. Fabricius*.
3. HANS PETER ENGELBRETH, en Søn af Hr. Provst *W. F. Engelbreth*, Sognepræst til Lyderslöv og Fröslöv i Sjælland.
4. JENS BILLE STAUNING, en Søn af afgangne Hr. *J. Stauning*, fordom Provst og Sognepræst i Stege.
5. JØRGEN CHRISTIAN BRUUN SOMMER, en Søn af Hr. Justitsraad *C. E. H. Sommer*, Bye- og Herredsfoged i Middelfart.
6. CARL FREDERIK GRÖENING, en Søn af Fabrikör, Hr. *F. Gröening* i Kjöbenhavn.

hvilke, saavelsom Skolens øvrige Disciple, aflægge den offentlige mundtlige Prøve efter nedenstaaende Orden.

*Dagen.**1ste Værelse.*

22de Septbr. Form.	Dimittenderne i Religion, Latin, Arithmetik.
Efterm.	— i Ny Historie, Geografie, Hebraisk.
23de Septbr. Form.	— i Græsk, Tydsk, og Gl. Historie.
Efterm.	— i Fransk og Geometrie.

Paa samme Dage udarbeides Prøverne i Kalligrafie og Tegning af samtlige Klasser, samt i Arithmetik af 1ste Klasse.

*Dagen.**1ste Værelse.**2det Værelse.*

24de Septbr. Form.	Religion 4de Klasse.	Arithmetik 2den Klasse.
	Hebraisk 4de Klasse.	
— — Efterm.	Tydsk 4de og 3die Kl.	Latin 2den Klasse under Adj. Thrige.
25de Septbr. Form.	Religion 3die Kl.	Dansk 2den Kl.
Efterm.	Geometrie 4de Kl.	Dansk 1ste Kl.
26de Septbr. Form.	Latin 4de Kl.	Religion 2den Kl.
Efterm.	Dansk 3die Kl.	Tydsk 1ste Kl.
27de Septbr. Form.	Dansk 4de Kl.	Historie og Geografie 3die Kl.
	gl. Historie 4de Kl.	
Efterm.	Græsk 3die Kl. överste Deel.	Fransk 2den Kl.
29de Septbr. Form.	Latin 3die Kl. (Livius).	Religion 1ste Kl.
Efterm.	Arithmetik 4de Kl.	Græsk 2den Kl.
30te Septbr. Form.	Historie og Geografie 4de Kl.	Latin 2den Kl. under Pastor Wegener.
Efterm.	Geometrie 3die Kl.	Latin 1ste Kl. under Adj. Thrige.

<i>Dagen.</i>	<i>1ste Værelse.</i>	<i>2det Værelse.</i>
1ste Octbr. Form.	Latin 3die Kl. (Ovidius).	Historie og Geografie 2den Kl.
Efterm.	Fransk 4de Kl.	Latin 1ste under Pastor Struch.
2den Octbr. Form.	Græsk 4de Kl.	Arithmetik 3die Kl.
Efterm.	Fransk 3die Kl.	Historie og Geografie 1ste Kl.
3die Octbr. Form.	Græsk 3die Kl. nederste Deel.	Tydk 2den Kl.

*Stilprøverne* i Dansken og Latinen blive udarbeidede förend den mundtlige Examens Begyndelse den 19de og 20de Septbr.

Hvad Dag Translocations-Höitideligheden kan foretages, ved hvilken Forældres og andre Velynderes Nærværelse ligeledes vil være kjærkommen, skal nærmere vorde Vedkommende bekjendtgjort.

Roeskilde den 7de Septbr. 1817.

*S. N. J. Bloch,*  
Dr. Prof. og Skolens Rector, Ridder af Dannehrog,

---